



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R. P. Fr. Ioannis Poncii, Corcagia-Hiberni, Ordinis Ff.  
Minorvm, Sacræ Theologiæ Lectoris Ivbilati, Olim in  
Collegio Romano S. Isidori Primarij Professoris;  
Philosophiæ Ad Mentem Scoti Cvrsvs Integer**

**Poncius, Joannes**

**Lugduni, 1659**

Qvæst. 1. Qvodnam sit obiectum Metaphysicæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95688](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95688)



# TRACTATUS IN METAPHYSICAM.

Quid Me-  
taphysica.

Eius di-  
gnitas.

Varia no-  
mina.

**S**I C V T Physica idem est, ac scientia naturalis, de qua hæcenus actum est, ita Metaphysica, quam iam aggredimur, idem est ac scientia, vel post-naturalis, quia scilicet est scientia proponenda post scientiam naturalem, vel transnaturalis, quia est scientia, quæ transgreditur scientiam naturalem, quatenus agit de rebus magis abstractis, & magis etiam perfectis, quam illa. Ex quo deduci potest excellentia, & dignitas huius scientiæ, sicut & ex aliis nominibus, quibus appellari solet. Dicitur enim primò *Sapientia* quia primas rerum causas, atque adeo vniuersalissimam, ac difficillimam contemplatur. Secundo *Philosophia* per antonomasiam, & etiam *prima Philosophia*, quod cæteris Philosophiæ partibus sit præstantior. Tercio *Theologia*, quia de Deo, eiusque proprietatibus, ac attributis, quantum lumine naturæ pertingi potest ad eorum cognitionem, per se tractat. Quarto denique, ut alias appellationes omittam, dicitur *Scientia vniuersalis*, quia, quandoquidem agat de ente, ut sic, quod includitur in omni obiecto cuiuscumque alterius scientiæ, qui eam caller, de omnibus rebus aliquid scit. Plurima autem, quæ ad hanc scientiam spectant, in Logica, & nonnulla in aliis Philosophiæ partibus tractata sunt: vnde hic pauca, quæ restant, breuiter examinabuntur.

## DISPUT. I.

### Proemialis in Metaphysicam.

**N**ON proponam hic illas Quæstiones, quarum cognitio facile haberi potest ex dictis in proemio Logicæ, ac Physicæ, ut an Metaphysica sit scientia, an practica, vel speculatiua, an vna simplex qualitas, sed solas illas, quæ peculiarem possunt habere difficultatem.

## QVÆSTIO I.

### Quodnam sit obiectum Metaphysicæ.

**N**ON poterat hæc quæstio effugere varietatem sententiarum, cui omnes similes, quæ de aliarum scientiarum obiectis mouentur, subiectæ sunt; sunt enim qui pro eius obiecto assignant ens ut sic, vniuersalissime sumptum, prout est quid commune enti reali, & rationis. Alij eius obiectum adæquatum putant esse ens reale, prout comprehendit tam entia per se quam entia per accidens. Alij ens reale, prout comprehendit solum omnia entia per se tam finita, quam infinita. Alij ens reale finitum ut sic, quatenus comprehendit æque primo tam substantiam, quam accedens. Alij substantiam ut sic, ut comprehendit finitam, & infinitam. Alij solum Deum. Alij aggregatum ex omnibus obiectis immaterialibus. Pro resolutione suppono, per Metaphysicam ex communi hominum sensu intelligi scientiam illam totalem, quæ cognoscemus omnium entium, & rerum immaterialium naturam independentem à lumine supernaturali, & reuelatione, mediantibus speciebus à sensibus externis ad internos deuiatis, & discursu intellectus.

Suppono secundo, huiusmodi obiecta esse Deum, attributa, ac perfectiones eius, Angelos ac spiritualia ipsi connaturalia, & gradus omnes, ac formalitates metaphysicas communes ipsis, ac substantiis, & accidentibus

materialibus, & etiam entia rationis, quæ oppositam habent rationem enti reali ut sic.

Suppono tertio, si pro obiecto adæquato intelligatur aggregatum ex omnibus obiectis, quæ considerantur in aliqua scientia, non esse dubium, quin aggregatum ex omnibus his obiectis esset obiectum adæquatum Metaphysicæ; vnde controuersia realis sola potest esse ex suppositione, quod vnum aliquod obiectum ex omnibus, quæ per se considerantur pro obiecto adæquato, assignari debet ex omnibus, quodnam Metaphysicæ assignandum sit.

### CONCLUSIO I.

2. Obiectum adæquatum eius non est ens ut sic, quatenus comprehendit ens reale, & rationis. Hæc est communior contra *Hurtadum* hic scilicet. 2. Nam quamuis putet Deum esse obiectum adæquatum Metaphysicæ, tamen existimat ens rationis ut sic abstractum ab omni ente rationis concernente materiam esse obiectum proprium partiale Metaphysicæ, & contineri in obiecto communissimo Metaphysicæ: illud autem quod ipse vocat communissimum obiectum, est illud, quod nos vocamus obiectum adæquatum.

Probat *primo* quia non datur conceptus entis ut sic communis enti reali, & enti rationis, de quo secundum se possit haberi scientia aliqua partialis vna, distincta à scientiis, quarum vna haberetur de ente reali, & altera de ente rationis; neque ens rationis est aliquid per se spectans ad ens reale tanquam pars essentialis, aut integralis, aut proprietas, aut accedens, aut species, nec è contra ens reale est aliquid entis rationis vilo ex his modis: sed ex communi authorum sensu, qui assignant aliquod vnum pro obiecto adæquato, aut communissimo scientiæ totalis, obiectum adæquatum intelligitur obiectum aliquod quod est aut commune vniuersè omnibus consideratis in scientia, aut tale, ut cætera sint aliquid ipsius aliquo ex prædictis modis: ergo ens ut sic, ut est commune enti reali, & rationis, non est obiectum adæquatum Metaphysicæ.

Probat *secundo*, quia per Metaphysicam communiter intelligitur scientia realis, ut scientia realis opponitur scientiæ rationis: sed non esset talis, si per se ageret tanquam de obiecto adæquato de ente ut sic æque comprehendente ens rationis ac reale: ergo non agit per se de illo ente tanquam de tali obiecto. Probat *minor*, quia scientia realis, ut opponitur scientiæ rationis, non dicitur talis ex eo quod in se sit quid reale, quia etiam scientia rationis, est talis: ergo dicitur talis ex eo quod habet aliquid reale pro obiecto adæquato: sed illud commune enti rationis, & reali non est reale, ut patet: ergo non esset realis scientia Metaphysica, si ageret de illo ente ut sic, tanquam de obiecto adæquato.

3. Obiectis *primo*, ens rationis spectat per se ad Metaphysicam: ergo ens ut sic, ut comprehendit omne ens tam reale quam rationis, est obiectum adæquatum Metaphysicæ. Probat *consequentia* quia obiectum adæquatum, & communissimum scientiæ debet comprehendere per se quicquid est per se considerationis scientiæ, & debet esse obiectum adæquatum, ut comprehendit illa.

Probat *antecedens primo*, quia debet per se spectare ad aliquam scientiam: sed non ad aliam spectat, quam ad Metaphysicam.

Probat *secundo*: quia ad hoc ut spectet per se ad aliquam scientiam, sufficit quod possit reduci ad obiectum adæquatum istius scientiæ: sed ens rationis potest per se reduci ad ens reale, quod assignatur pro obiecto adæquato eius, tanquam quid oppositum ipsi.

Confirmatur, quia secundum *Philosophum*, contrariorum eadem est disciplina, hoc est eadem scientia versatur circa illa: sed ens rationis est oppositum enti reali: ergo scientia Metaphysica agens de ente reali agit etiam per se de ente rationis.

4. Respondet negando antecedens & minorem primæ probationis, nam ens rationis spectat per se ad considerationem scientiæ rationis, quæ per se directe agit de ipso, & omnibus speciebus eius, quæ scientia non est Metaphysica, ut Metaphysica capitur communiter. Nec refert quod

Obiectum adæquatum Metaphysicæ non est ens ut sic commune enti reali & rationis.



quod agatur de ipso in Metaphysica, quia multa tractatur in scientiis totalibus, quæ per se non spectant ad ipsas, ut patet in Logica, in qua maxima pars Metaphysicæ tractatur; ergo ex eo quod agatur de ente rationis in Metaphysica, non sequitur quod per se de illo agatur.

*Confirmatur*, quia non est dubium, quin posset aliquis aliquem tractatum scribere de ente rationis, ut sic, & omnibus speciebus, ac proprietatibus eius, & quod ille tractatus esset per se, de ente rationis, sicut & scientia correspondens illi in intellectu; nec etiam est dubium quin posset aliquis similiter scribere tractatum de ente reali ut sic, & omnibus speciebus eius solis, & quod hic tractatus, sicut & scientia correspondens illi in intellectu, esset de ente reali ut sic, tanquam de obiecto adæquato, & quod ad neutrum tractatum spectaret per se obiectum alterius: & si aliquis vellet ad maiorem perfectionem vnius tractatus adiungere aliquid de altero, id sine dubio esset per accidens, & non per se. Vnde si quis vellet vnum ex his tractatibus, v.g. illum qui est de ente reali, & scientiam sibi correspondentem vocare Metaphysicam, profecto consideratio quæcumque spectans ad alterum tractatum non spectaret per se ad Metaphysicam; sed vel nullo modo, vel non nisi per accidens. Sed sic est quod de facto Doctores communiter intelligant per *Metaphysicam* tractatum de ente reali: ergo ens rationis non spectat ad Metaphysicam.

5. *Ad secundam probationem antecedentis respondeo* distinguendo maiorem; quod reducat quomodocumque, nego; quod reducat tanquam aliquid constitutum, aut species ipsius, aut proprietates vel accidens ipsius vel specierum eius, aut aliquid genus causæ, transeat, & similiter distinguo minorem: potest reduci tanquam pars, aut species, aut proprietates, aut accidens, nego minorem; alio modo concedo minorem, & nego consequentiam.

Quomodo  
contraria  
spectat ad  
eandem  
scientiam.

*Ad confirmationem respondeo primo*, forte sensum genuinum istius loci esse non quod contraria ad eandem spectent scientiam, sed quod sit eodem modo discurrendum de ipsis seruata proportionem iuxta illud: *Contrariorum eadem est lex*.

*Respondeo secundo*, admittendo quod sensus sit, eandem scientiam debere esse de contrariis, distinguendo consequens, ita ut per se tractet de vtriusque, nego consequentiam: ita ut per se tractet de vno ex contrariis, & per accidens de altero, transeat consequentia, nec id est contra conclusionem. Quod autem vna scientia non necessatio agat per se de vtroque contrario, patet, quia alias Metaphysica, quæ agit per se de substantia spiritali, deberet etiam per se agere de substantia materiali; & Physica, quæ agit de substantia materiali seu mobili, seu naturali, seu sensibili, deberet etiam per se agere de substantia immateriali, immobili, & non naturali.

6. *Obijciens secundo*: Physica agit per se de forma & priuatione; Theologia de virtute & vitio: Logica de syllogismo bono, & falsigrafo; ergo etiam Metaphysica debet agere de ente reali & rationis.

*Respondeo* negando consequentiam, & ratio disparitatis est, quod non propterea agat Physica per se de forma & priuatione, quia agit per se de forma, & quia propterea agere debet per se de priuatione; & id est de Theologia respectu vitij & virtutis, sed quia cognitio vtriusque est necessaria ad cognitionem obiecti adæquati, & ad finem scientiæ, nam cum priuatio non minus sit principium corporis in fieri quam forma, tam necessarium est cognoscere quid sit priuatio, quam quid sit forma, ad hoc ut cognoscatur quomodo principiari possit corpus naturale.

Deinde cum finis Theologiæ sit tradere modum, quo possit acquiri & perdi Deus, & ad hoc æque conducatur cognitio vitij ac virtutis, æque vtrumque spectare debet ad Theologiam. Denique, cum finis Logicæ sit tradere modum, quo aliquis bene discat, & ad hoc per se requiratur cognoscere quomodo male posset disci, & decipi intellectus, debebat per se agere de falsigrafo. At cognitio entis rationis non est prorsus necessaria ad cognitionem entis realis, & consequenter Metaphysica,

cuius est agere de ente reali, non debebat per se agere etiam de ente rationis.

#### C O N C L V S I O II.

*Obiectum adæquatum Metaphysicæ non est ens ut sic, ut commune est entibus per se & entibus per accidens.* Hæc est communissima contra paucos sentientes oppositum.

*Probat*, quia non datur aliquis conceptus entis abstractibilis ab entibus per se, & per accidens, & directe prædicabilis de illis, de quo possit aliquid per se sciri; neque ens per accidens est genus, aut species, aut indiuiduum, aut pars integralis, aut physica, aut proprietates, aut accidens entis realis vnius per se ut sic, ergo ens ut sic, quatenus commune est enti per se, & enti per accidens, non est obiectum adæquatum Metaphysicæ, eatenus enim esset, quatenus daretur talis conceptus communis directe prædicabilis de vtroque, aut quatenus ens per accidens esset reducibile ad ens per se, vel tanquam inferiorius, aut superius, aut pars integralis, aut physica, aut proprium, aut accidens.

*Obijciens*: Agitur in Metaphysica de ente per accidens, ergo. *Confirmatur*, quia spectat consideratio ipsius ad aliquam scientiam; non ad aliam potius, quam ad Metaphysicam: ergo.

*Respondeo* distinguendo antecedens: per se nego, per accidens transeat. *Ad confirmationem*, nego minorem, spectabit enim per se consideratio ipsius ad illam scientiam, à qua potest per se cognosci.

*Et si quæras*, quænam illa sit. *Respondeo* vocari posse scientiam de ente per accidens (si de illo datur scientia, ut supponit obiectio) cui scientiæ nondum est impositum nomen aliquod vnum particulare, quia nemo adhuc tractauit de illo ente, nisi in tractatibus de aliis obiectis.

*Dico*, ergo scientia realis non est adæquate diuisa in Metaphysicam, Physicam, & Mathematicam.

*Respondeo*, distinguendo sequelam, quantum ad hoc quod possit dari aliqua cognitio realis etiam de obiecto reali, quæ per se non spectet ad illas, concedo, ita ut nulla sit scientia realis, quæ vel per se, vel per accidens non spectet ad illas nego antecedens.

*Respondeo secundo*, distinguendo sequelam, scientia realis habens pro obiecto vnum per se, nego sequelam, vnum per accidens, concedo sequelam.

#### C O N C L V S I O III.

8. *Nec Deus, nec substantia immaterialis, ut sic, comprehendens solum Deum, & Angelos; nec substantia immaterialis ut sic comprehendens omnes substantias immateriales; nec ens ut sic, ut comprehendit tantum decem predicamenta, est obiectum adæquatum Metaphysicæ, sed ens reale ut sic, quatenus comprehendit omnia entia realia immaterialia ut cognoscibilia naturaliter.* Hæc in re est communissima apud omnes, qui intelligunt per obiectum adæquatum aliquod vnum ex omnibus obiectis partialibus, quæ considerantur in scientia.

*Probat*, quia agitur in hac scientia de ente reali, ut sic quod est commune Deo & omnibus substantiis, ergo illud potius, quam Deus, aut substantia vlla, aut ens finitum commune decem predicamentis debet statui obiectum adæquatum huius scientiæ: ex omnibus enim obiectis, quæ sunt in scientia, pro obiecto adæquato illud, quod est magis commune, potius assignari debet, quam aliquod minus commune, præsertim si contineat sub se aliquid quod non possit reduci ad illud minus commune per modum partis aut proprietatis, aut accidentis: sicut ens ut sic continet sub se aliquid, quod ad nullum alium conceptum ex iis, quæ sub ipso comprehenduntur, possit reduci per modum partis, aut proprietatis, aut accidentis.

9. *Probat* secundo per singulas partes, non enim potest assignari pro obiecto adæquato eius Deus, quandoquidem ad ipsum in ratione obiecti non possit reduci substantia creata, quæ neque est pars eius, nec proprietates, nec accidens: nec substantia immaterialis ut sic comprehendens Deum & Angelos solummodo, aut omnes substantias, quia accidentia ut sic conueniunt vniuersi, ut supponit ex dicendis, cum substantia ut sic in ratione

Ens ut sic  
ut communis  
ne entibus  
per se, &  
per acci-  
dens non  
est obiectum  
adæquatum  
Metaphysicæ.

Quod obiectum adæquatum Metaphysicæ.



Non sub-  
stantia im-  
materialis  
est sic.

Hec ens  
dicuntur.

ratione entis, & ut sic conveniunt, sunt per se considera-  
bilia, nec vlla ratio est cur solum considerarentur, qua-  
tenus sunt accidentia ac perfectiones substantiæ: nec  
ens finitum, quia Deus non potest reduci ad ens fini-  
tum in ratione obiecti quod solum considerari deberet  
gratia entis finiti in hac scientia. Sed nihil aliud potest  
assignari præter ens ut sic: ergo.

*Obijciens:* Hæc scientia sumit denominationem à Deo,  
vocatur enim Theologia naturalis id est scientia natu-  
ralis de Deo: sed scientiæ non sumunt denominationes  
nisi ab obiecto adæquato: ergo.

*Confirmatur,* quia cederet in maiorem dignitatem hu-  
ius scientiæ habere Deum pro obiecto adæquato; &  
etiam ad maiorem dignitatem Dei, quod esset obiectum  
adæquatum perfectissimæ scientiæ, qualis est hæc; ergo  
debet dici quod sit obiectum adæquatum eius.

10. *Respondetur* negando minorem; potest enim sumere  
denominationem quandoque ab obiecto particulari.

*Ad confirmationem,* pro prima parte respondeo primo,  
quamvis cederet in maiorem perfectionem ipsius, eam  
tamen perfectionem non esse concedendam ipsi.

Non esset  
perfectio-  
nis in Me-  
taphysica  
habere  
Dei pro  
obiecto  
adæquato.

*Respondetur secundo,* negando antecedens, neque enim  
maioris est perfectionis in scientia, quod obiectum ali-  
quod perfectissimum sit obiectum adæquatum ipsius,  
quam quod sit obiectum partiale, quando non minus  
bene tractat de ipso, si sit obiectum partiale, quam si ef-  
fet obiectum adæquatum ipsius.

*Respondetur etiam tertio* negando antecedens confir-  
mationis pro secunda parte; imo potius cederet in detri-  
mentum honoris eius, quia sequeretur quod esset magis  
commune quam est, quod sine dubio argueret in ipso  
imperfectionem.

*Obijciens secundo.* Quod est obiectum adæquatum  
scientiæ debet habere principia & proprietates demon-  
strabiles de ipso: ens reale ut sic non habet hoc, quia est  
formalitas simplex, non resolvable in plures formalita-  
tes: ergo.

*Confirmatur,* quia perfectissima scientia, qualis est Me-  
taphysica, debet habere perfectissimum obiectum adæ-  
quatum; sed ens ut sic non est perfectissimum obiectum  
adæquatum, ergo non est obiectum adæquatum Meta-  
physicæ.

11. *Respondetur* distinguendo maiorem: debet habere  
principia constitutiva sui formaliter, nego maiorem; de-  
bet habere principium suarum proprietatum, concedo  
maiorem, & similiter distinguo minorem: non habet  
principia constitutiva sui formaliter, id est, plures partes  
reales physicas aut integrales, vel plures formalitates,  
concedo minorem, non habet principium suarum pro-  
prietatum, nego minorem, habet enim suam naturam, &  
hæc sufficienter principiat ipsius proprietates.

*Ad confirmationem* *Respondetur* distinguendo antecedens:  
in quantum ad rationem suam formalem præcise con-  
sideratam, nego; in quantum ad hoc quod debeat conti-  
nere sub se perfectissimum obiectum considerandum in  
scientia, concedo maiorem, & similiter distinguo mino-  
rem: secundum se formaliter consideratum, concedo, in  
quantum ad comprehensionem aliorum obiectorum,  
nego minorem, & consequentiam.

Sub qua  
ratione  
considerat  
Metaphy-  
sica ens  
ut sic.

12. *Quæritur* sub qua ratione consideret Metaphysica  
ens ut sic, seu quodnam sit obiectum formale eius. *Re-*  
*spondeo* quod consideret ipsum sub ratione entis, & quod  
non sit vlla ratio formalis in ente, sub qua consideretur  
à Metaphysica, distincta à ratione entis, & hinc dicitur  
communiter, quod ens ut ens sit obiectum Metaphy-  
sicæ.

*Dices:* ens est obiectum materiale eius, ergo debet  
dari alia ratio distincta, quæ sit obiectum formale.

Non sem-  
per ratio  
formalis  
obiecti  
distingui-  
tur à ra-  
tione ma-  
teriali.

*Respondetur* non debere in obiecto scientiæ assignari  
duas rationes, quarum una sit formalis, & alia materia-  
lis, nisi quando prædicatur, quod cognoscitur de ipso  
per scientiam, non convenit ipsi secundum totam ra-  
tionem subiecti, sed secundum aliquam tantum forma-  
litem eius: in proposito autem quod cognoscitur de  
ente, convenit ipsi secundum rationem entis, quæ ra-

tio non includit duas formalitates, secundum quarum  
vnam competeret ipsi, & alteram non competeret.

## QVÆSTIO II.

*Utrum Metaphysica versetur circa rerum omnium  
quidditates in particulari.*

13. *S*uppono in Metaphysica per se non solum agi de  
ente ut sic, ac suis proprietatibus, sed etiam de  
multis speciebus eius, ut de Deo, Angelis, substantia,  
& accidente ut sic, de quibus in Metaphysica per se de-  
monstrantur proprietates non magis competentes enti  
ut sic, quam proprietates speciei competunt generi.  
Suppono etiam tanquam certum, quod Metaphysica  
non consideret omnes species entis in particulari, ut  
distinguitur à Physica, & Mathematica, quia sic non re-  
linqueretur vllas species entis considerandas per se à Phy-  
sica aut Mathematica, & consequenter non essent scien-  
tiæ à Metaphysica distinctæ. Unde dubitari merito po-  
test quanam species entis à Metaphysica per se conside-  
rentur, & cur potius aliquas species quam omnes con-  
sideret.

Non om-  
nes

## CONCLUSIO I.

14. *Metaphysica considerat omnia entia secundum om-  
nia predicata generica & specifica, quæ non includunt mate-  
riam primam, nec dicunt per se ordinem ad illam, quæ  
ratione naturali sunt cognoscibilia; nullum vero ens non  
secundum vllum predicatum includens materiam aut or-  
dinem ad illam, per se considerat. Hæc est commu-  
nis.*

*Probatur quoad primam partem,* quia nulla scientia  
tractat de istis præter Metaphysicam, ergo debent tra-  
ctari in Metaphysica. Consequentia est certa, quia illa  
debent spectare ad aliquam scientiam.

*Probatur secunda pars,* quia per Metaphysicam, ut ex  
etymologia nominis patet, intelligitur scientia transna-  
turalis, id est quæ transgreditur naturam, & in hoc di-  
stinguitur à Physica, quæ est scientia naturalis, id est  
considerans naturam & res naturales, hoc est constantes  
natura, & pertinentes ad naturam; ergo Metaphysica  
non debet considerare naturam aut res naturales: sed  
materia prima est natura, & res constantes materia pri-  
ma, & dicentes per se ordinem ad illam taliter, ut nota  
possint connaturaliter existere sine materia prima, sunt  
res naturales, ergo, &c.

*Confirmatur,* quia per Metaphysicam, ut est scientia di-  
stincta à Physica, & Mathematica non intelligimus  
aliud quam scientiam considerantem res, quæ abstra-  
huntur à materia, hoc est per se non dicunt ordinem ad  
materiam, ergo Metaphysica, ut sic distincta, non consi-  
derat huiusmodi res.

*Confirmatur secundo,* quia illæ res considerantur ut sic  
à Physica, & Mathematica: ergo ut sic non consideran-  
tur à Metaphysica, ut Metaphysica distinguitur ab illis.  
Ex his patet omnem rationem communem substantiis  
& accidentibus materialibus & immaterialibus consi-  
derari à Metaphysica.

5. *Obijciens primo:* Metaphysica considerat quatuor ge-  
nera causarum, ergo considerat materiam primam, ergo  
non solum res abstractas à materia prima.

*Respondetur* distinguendo antecedens: secundum ratio-  
nem genericam cuiuscunque generis ex ipsis, concedo;  
secundum omnes rationes específicas cuiuscunque gene-  
ris ex ipsis, nego antecedens: similiter distinguo primam  
consequens: secundum rationem genericam, quæ conue-  
nit cum causis materialibus, quæ non sunt materia pri-  
ma, nec dicunt ordinem ad ipsam, concedo; secundum  
suam rationem specificam, nego primam consequen-  
tiam, & etiam secundam. Itaque datur causa materia-  
lis, quæ non est materia prima, v. g. intellectus respec-  
tu intellectiois, subiectum respectu accidentium, &  
materia